



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

Pro Renovatione Votorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

PRO RENOVATIONE
VOTORUM.

MEDITATIO PRIMA.

Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec
19. formetur Christus in vobis.*

Religiosi reformatio in renovatio-
ne votorum.

PUNCTUM PRIMUM.

Religio
nos for-
mavit.

Considera quomodo, cum ad Religionem
primum venimus, vel deformes omnino,
vel saltem rudes profus & informes & quo-
ad intellectum, & quoad voluntatem & mores,
pia mater nos domo probationis, velut in suo u-
tero exceptos omni studio foverit, & S. Spiritus
vi & calore toto biennio parturierit, primumq;
veluti in lucem emiserit, cum vota fecimus. In
memoriam revocabo deformationem vitæ pri-
oris, Dei in me & Religionis benignitatem, su-
periorum sollicitudinem, Spiritus Dei vim &
operationes varias, mei mutationem, lumina,
fervorem, desideria perfectionis ardentia, de-
nique integram mei oblationem à Deo & Re-
ligione acceptatam. Quam propriè videbar
jam totus formatus in alium virum, ex carnali
in spiritualement, ex mundi mancipio in Christi mi-
litem. Gratias agam.

PUN-

PUNCTUM II.

CUm debuisssem studiosè conservare & per-
ficere hanc formam adeo mihi necessari-
am: passus sum tamen illam vel sensim perire,
vel imperfectam manere, adeo ut egeam refor-
matione aliqua saltem. Cùm enim tres sint mo-
di deformidatis, non est dubium quin aliquo
laborem. 1. Est eorum, qui cùm Religiosam &
spiritualem vitam profiteantur, nihil tamen Re-
ligiosæ formæ habent præter externum habi-
tum. 2. Eorum, qui cùm habent aliquas vi-
tæ partes bene formatas, non tamen omnes; ut
cùm in paupertate bene se habent, at non in
obedientia, humilitate, &c. cùm in intellectu
nihil deforme sit, at in voluntate multi sunt a-
ctus inordinati, & motus leves in exteriori ho-
mine: cùm bene se habet examen conscien-
tiæ, meditatio autem & cæteræ functiones ma-
lè. 3. Est eorum, qui cùm non patiantur nota-
bilem deformitatem, tamen non eam omnem
perfectionem habent quam pro instituto pote-
rant & debebant esse consecuti. Perpendam,
in quo sim gradu, & quid mihi desit: & co-
ram Deo & Sanctis Angelis magna confusio-
ne recensebo singulas meas deformitates cum
serio desiderio emendationis.

PUNCTUM III.

Hoc desiderium vehementius efficiet in me
piæ matris vox, quæ singulari Dei beneficio
hanc Reformatur in

renova- hanc à Deo virtutem accepit, ut etiam quos sæ-
 tione pe jam peperit, parturire iterum iterumque pos-
 votorū. sit, donec Christo Domino duci suo & parenti
 conformes sint. *Filioli, ait, mei, quos iterum par-
 turio, donec formetur Christus in vobis.* Et qui-
 dem id facit semper, sed præcipuè cùm instat
 renovatio votorum. Tunc enim filios suos to-
 to affectu complexa, excitato spiritus illius quo
 plena est calore, collectis omnibus viribus, in-
 genti molimine & conatibus, & doloribus ma-
 gnis enititur instituti sui formæ reddere con-
 formes. Illuc spectant Religionis totius, etiam
 ejus quæ in cælo est, preces, viventium etiam
 in orbe toto, fervor & lachrymæ, mortificatio-
 nes, adhortationes, instituti consideratio, con-
 fessio generalis, conscientix manifestatio, re-
 collectio, & alia id genus media, quæ ipsa dum
 tanto spiritus fervore adhibet & ut etiam adhi-
 beamus, tam sollicitè & amanter hortatur, nos
 verè iterum parturit.

PUNCTUM IV.

Majori
 labore.

COgitabo quod conatus ejus & nostros, &
 dolores eo majores esse necesse est, quo jam
 difficilius est distortas animæ nostræ inclina-
 tiones, ubi diuturno usu induruerunt, corrige-
 re: unde jam major aliquanto fervor requiri-
 tur, quàm cùm emisimus primum vota. Itaque
 cavebo ne, quod plerisque contingit, cordis
 mei duritia & inflexibili pertinacia tantos in me
 sonatus irritos reddam. Lustrabo ergo cor
 meum

mēum ad fundum usque, ad attendam num in eo aliqua sit voluntaria & obdurata deformitas: quam si deprehendero, rogabo Christum Dominum in cruce fixum, ut suo illam sanguine & amore emolliat, vel conterat potentia dexteræ suæ, sic ut fiam instar ceræ molliis & terræ in manu figuli, faciliusque in ejus similitudinem former.

MEDITATIO II.

Ad eadem verba.

Idea religiosæ reformationis.

PUNCTUM PRIMUM.

Considera formam illam quam vult Religio Forma
 in nobis efficere, esse Christum, sive vitam illa Chris
 ejus vel imitationem, qua nimirum fiat, ut in tus est.
 hoc teatro, in quo *spectaculum facti sumus* 1. Cor. 4.
 Deo, & *Angelis & hominibus*, repræsentemus 9.
 perfectè personam Christi Domini, tum in interiori homine, non tantum per gratiam habitualement, quæ non ejus fratres, & filios Dei facit; sed etiam per cogitationes, affectus, desideria, intentiones, consilia: tum in exteriori, per verba, corporis compositionem, conversationem, functiones concionum, lectionum, ministeriorum, & officiorum, induentes nos viscera charitatis ejus & misericordiæ, patientiam humilitatem, obedientiam: & in omni loco & tempore sic illum ad vivum in nobis ex-

Tom. II.

N n

prima-

primamus, ut Pater æternus Filium suum in nobis agnoscat quodammodo orantem, conversantem, obedientem, humiliatum, & sic in nobis, ut in dilecto filio suo sibi complaceat; homines vero nostro aspectu, verbis, conversatione, functionibus, in Dei & Christi notitiam, & amorem, admirationemque veniant. O quam gratum spectaculum Deo, Angelis, & hominibus! Vide quomodo tu hanc Christi personam sustinueris.

PUNCTUM II.

Regulæ. **C**onsidera, matrem nostram Religionem, cui est datum nos parturire, donec Christus formetur in nobis, habere etiam in se eam formam, quam nobis vult imprimere: alioquin quomodo eam in nobis efficeret? Illa forma continetur toto instituto ejus, quod nihil est aliud quàm signaculum quoddam expressum solerti manū ex Christi Domini vita & actionibus, ut postea applicatum nobis, ejus vitæ formam in nobis imprimat. Omnes enim regulæ aliud nihil sunt, quàm expressa ex Domini gestis documenta & practicæ perfectionis axiomata, quibus adjungit Dominus internam Filij sui, cujus proprium est externam illam formam profundè menti nostræ imprimere. Quare non sine causa Superiores in votorum renovatione commendant instituti considerationem, & illam formam veluti nobis applicant. Hinc cognoscam quanti mihi sint faciendæ regulæ

gulae

gulae omnes, quo spiritu recipiendae, quo fervore finèque servandae: ut nimirum piè eas observans conformis tandem fiam Christo in omnibus.

PUNCTUM III.

CONSIDERA præter instituti formam, fuisse <sup>Perfecti Religi-
offi.</sup> in Religione & etiamnum esse multas vivas Christi imagines & formas, qui quem in se continent & exprimunt Christum, ita nobis exemplo præcipuo & verbo exhibent, ut Religio meritiò per eas dicatur formare Christum in nobis: sic enim Paulus Christum in fidelibus formabat. Talis fuit Ignatius, Xaverius &c. tales sunt communiter Superiores, & præter eos multi viri sancti non ita passim omnibus noti, qui verè possunt dicere. *Vivo, jam non ego: Gal. 2. vivit verò in me Christus.* Item, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et verò in Religione <sup>20.
Phil. 3.
17.</sup> tales esse deberemus omnes, ut nos mutuò considerantes in devotione cresceremus, & Deum in alijs, ut in illius imagine agnosceremus. Ita enim ex tot imaginibus Christi Spiritu plenis, directa in se mutuò virtutum exempla Christum perficerent, tam in interiori quàm in exteriori cujusque homine. O quam gratum & gloriosum esset tale spectaculum Deo, Angelis, & hominibus! Proponam non attendere mores tepidorum: sed in ijs, qui in Christi spiritu ambulant, intueri Christum, & in me derivare, sequutus Apostoli consilium, qui ut oculos ani-

mósque fidelium ab imperfectorum vita revocaret, Christum in se exprimebat, & eos hortabatur: *Imitatores mei estote, sicut Ego Christi.*

PUNCTUM IV.

Necessaria nunc est illa forma,

Perpende Dominum Christum miseris temporibus, quibus mundus est adeo deformatus, hanc vitæ suæ formam dilectæ suæ Religionis matri nostræ concessisse, tum ex magno amore, quo singulos ejus filios prosequitur, quos ab æterno voluit esse conformes imagini suæ; tum ob Ecclesiæ suæ bonum, quæ si unquam certè indiget hoc tempore (quo charitas extincta pene ubique est, vacillat verò fides) strenuis operariis, qui sua sanctitate vitam Christi representent mundo. Et certè si tanta est in aliis orbis partibus necessitas, nemo non videt, quanta sit in his, ubi tanta credendi vivendique licentia omnem prope Dei notitiam, & sensum hominibus abstulit. Si ergo Deum amem & Dei Christi que gloriam, conabor omni studio eam formam acquirere, ut sic reformando mundo valeam cooperari: quod, damnata mea deformitate, à Deo per S. Patris nostri merita petam.



MEDITATIO III.

O insensari Galatæ! quis vos fascinavit
 non obedire veritati, ante quorum Gal. 3. I.
 oculos Iesus Christus præscri-
 ptus est, in vobis cru-
 cifixus?

Defectus luminis spiritualis practici.

PUNCTUM PRIMUM.

AD formam illam vitæ Christi exprimendam Necessa-
rium est
lumen
practicum,
 necessarium imprimis est clarissimam & di-
 stinctissimam Christi imaginem per cognitio-
 nem ejus perfectam menti imprimere: hoc enim
 est primum veluti vestigiū divinæ hujus for-
 mæ. Nam nisi veram clarāque Christi spe-
 ciem in se ipso intellectus depingat, non poterit
 voluntas amoris ejus sigillo consignari, nec mo-
 res ad ejus imitationem formare. Quare A-
 postolus, Galatas, in quibus Christum forma-
 re volebat, insensatos vocat & stultos, qui hac
 notitia carebant: vera enim sapientia & scien-
 tia Sanctorum est scire Christum; & illum ne-
 scire, vel parum scire, est stultitia. O quot si- Multis
deest.
 deles, imo religiosi parum Christum norunt,
 saltem practice, licet alia studiosè exquirant, in
 quibus docti & sapientes videntur! Quam
 multis formis imbuti, vix ullum locum perfe-
 ctæ Christi imagini in se formandæ relinquunt!
 Non mirum est si deformes illi perpetuò mane-
 ant,

Nn 3

ant,

ant, cùm ad vitæ Christi formam parum animi habeant. Conabor apprehendere quod ait Paulus *Si quis ignorat, ignorabitur*: quasi diceret, qui nullam Christi formam menti impressam gerit, adeoque eum non novit, vel minus quam pro statu deberet: etiam non poterit agnosci, ut ad Christum pertinens.

PUNCTUM II.

Causa hujus defectus **P**Ræcipuam causam hujus insipientiæ Galatarum S. Paulus tribuit, cuidam veluti fascinationi: *Quis vos fascinavit*, inquit ut Christum crucifixum, totamque vitæ ejus formam ante oculos vestros descriptam non videatis? Sicut autem fascinum propriè nocet infantibus, iis qui firmo necdum vestigio pedem figunt: ita plerumque solet contingere, ut statim ab ipso novitiatu studia, & externæ occupationes, & nonnullorum exempla vehementem cujuspiam boni sensibilis, v. g. honoris, favoris, gloriæ, commoditatum imaginationem & affectum ingerant, & ita rapiant animi vires, intellectum & affectum, ut sensim sine sensu indurescat ad spiritualia, & excæcetur. Quare nec Deum, nec Christum, nec seipsum videt, licet sæpe Superiorum monitionibus & assiduis Dei inspirationibus ante oculos repræsentetur. Hanc meam cæcitatem & duritiem agnoscam, petamque à Deo, ut oculos meos illuminet, ne obdormiam in monte.

PUN-

PUNCTUM III.

A Prissimum contra hoc fascinum remedium Remedium,
 est, bene Christi Domini vitam meditari :
 nec enim facile vis fascini hujus attinget illum,
 qui quotidie spiritualibus exercitijs serio vaca-
 bit. Itaque expendam defectus quos soleo ad-
 mittere in meditatione, nempe in præparatione
 ejus, in integritate, in modo, in quotidiano fru-
 ctu, & executione : & conabor, ut significat
 Apostolus quotidiana vitæ & passionis Christi
 meditatione illum mihi tanquam vivum exem-
 plar, vel librum apertum, clarissimis vulnerum
 & vibicum characteribus descriptum propone-
 re : ex quo veram scientiam hauriam, in quo
 legam virtutum omnium naturam, proprieta-
 tes, actus internos & externos.

PUNCTUM IV.

A Ddam denique illam objurgationem B. Serio ad-
 Pauli, quæ ibidem statim subjicitur. hiben-
Stulti estis, ut cū spiritu cœperitis, nunc carne con- dum.
summimini ? tanta passi estis sine causa. V. 3.
 Nam
 valde stultum est, quod cum primum singulari
 Dei beneficio vocatus fui ad Religionem, cum
 tanto fervore cœperim in vita spirituali progre-
 di, creata omnia bona, mundum, mundi que
 favorem omnem & gloriam contemnere: nunc
 post tot annos animo plane seculari, & carna-
 li intentione, longè minora bona in Religione
 ipsa prosequar, quam in sæculo : adeo ut vide-

ar frustra pene hætenus laborasse, & jecisse fundamentum pretiosum, & jam superædificare quisquiliæ. Ergo confusus resumpto pristino fervore spiritus, ad illam consummationem contendam, cujus exemplum dedit mihi Christus in cruce, cum dixit: *Consummatum est.*

Joan. 19.
30.

MEDITATIO IV.

Gal. 6. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce*
14. *Domini nostri Iesu Christi, per quem*
mihi mundus crucifixus est,
& ego mundo.

Defectus amoris Iesu Christi.

PUNCTUM PRIMUM.

Formatur in nobis Christus, ipsum amando.

AD formandum in nobis Christum valde est necessarius ardens ejus amor. Is enim est veluti fornax, in qua durities cordium nostrorum mollescit, ut in his divina vitæ ejus forma exprimat. Quare omnes qui in Christi amore excelluerunt, videmus etiam in ejus imitatione excelluisse.

PUNCTUM II.

Christus præ cæteris æstimandus.

Considera amorem hunc erga Christum debere esse magnum, æstimativè potissimum, sicut nihil Christo ejusque gloriæ præponamus; ut potius ei ex integro serviamus. Quare in eo totus est Paulus, ut Galatis persuadeat vim & dignitatem crucis Christi. Et certè in vita spiritali

rituali nihil ita retardat à perfectiore illa forma, quàm quòd, si non speculativè, saltem practicè non satis æstimamus Christum & ejus perfectam similitudinem, & nescio quomodo veluti scandalizamus in ejus cruce, paupertate, humilitate, adeoque in alijs; & in nobis pluris facimus apparentia quædam bona, quam solidas Christi virtutes. Hinc enim fit ut admiremur & laudemus externa nostra & aliorum, interna verò parum admodum. Examinabo ego me & ad fundum usque exquiram, num verè Christum amem, num in me & in alijs tanti faciam vera bona, ut debeo: & si deprehendero in me pondus, & stateram dolosam ac mendacii, confundar, petitæque venia, corrigam.

PUNCTUM III.

Quod si velim ita Christum diligere appreciativè, debeo sentire quod sentiebat Apostolus, cum diceret: *Mihi autem absit, &c.* quasi diceret: Glorientur alii in cæteris bonis quibuscumque quæ ipsi magna & excellentia reputant, in lege, in hominum plausu, in varijs talentis: at ego sola cruce Jesu, tanquam excellentissimo bono meo, per quem, id est per cujus meritum, ad cujus imitationem, & propter cujus amorem mihi mundus crucifixus est & ego mundo: adeo ut tanquam mortuus in cruce cum Christo jam amplius non tenear, neque tangar mundanis opinionibus, favoribus, deliciis, opibus, gloria; vel contra, opprobrijs, de-

Et præ
cæteris
amâdus

N n 5

tra-

tractionibus, infamia, odiis, persecutionibus ;
& vice versa mundus ipse mihi crucifixus est,
quia hæc eadem bona & mala mundana non me
magis afficiunt, quàm si verè mortua essent.

PUNCTUM IV.

Hæc re-
gula fa-
ctis se-
quenda.
v. 16.

Considera, non satis esse ad perfectum Chri-
sti amorem id sentire : sed necesse est etiam
hanc regulam sequi, ut monet Apostolus. *Qui-
cunque hanc regulam secuti fuerint, pax super il-
los.* Certè hæc regula vitæ Christi, quam nobis
Apostolus commendat, in nostro instituto &
regulis nobis explicata & in manu posita est.
Quare non tantùm nobis magni faciendæ sunt,
sed etiam singulari studio observandæ propter
amorem Christi cujus vitæ formam nobis im-
primunt : alioquin privabimur excellenti illo
effectu amoris Christi, pace, inquam nobiscum,
cum Deo, cum superioribus, cum alijs : id quod
experientia quotidie satis nos docet.

Ut pa-
cem ha-
beamus.

PUNCTUM V.

Quod
palam
facien-
dum.
v. 17.

Sed præterea si abundantiori charitate ferar in
Christum, tentabo imitari Apostolum in eo
quod dicit. *De cætera nemo mihi molestus sit: ego
enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*
Quib⁹ verbis declaravit quantum amaret Chri-
stum : nam proculcato omni humano respectu,
& ablegato à se omni favore, honore, & gloria
hominum, despectis que diæternis, odiis, perse-
cutionibus, se & esse, & fore profitetur Chri-
sti

si servum, non occultum, non clam, & in animo, ac bonis desiderijs; sed reipsa, sed palam in suo corpore, in fronte, in vita tota, in conversatione omni, ferendo insignia & stigmata Domini Jesu, id est iniustas ad similitudinem crucis Domini notas, verbera, ignominiam, calumnias, corporis mortificationes, quæ à Domini corpore, & cruce derivata testarentur, cuius esset servus & miles. Et hoc est quod regula 11. Constit. nobis commendatur. Ergo perentabo animum meum & interrogabo me, an sit mihi satis robotis, ut dicam: *De cætero nemo mihi molestus sit, &c.*

MEDITATIO V.

Mirror, quod sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam.

Gal. 1.6.

Levitas & inconstantia.

PUNCTUM PRIMUM.

Considerabo, valdè esse necessarium ad imprimendum cordi & vitæ formam Christi, inchoatum opus urgere continuò, nec intermittere. Quare Apostolus statim initio declarat inconstantiam Galatarum fuisse causam, cur in illis iterum formari Christus deberet: *Mirror quod tam citò transferimini, & quasi transmigratis ad imperfectum statum à perfecto, ad quem vocati estis à Deo, ex puro amore.* Cogitabo

Constantia necessaria.

Nostra
levitas.

gitabo quam sæpe bona proposita, mihi à Deo tam misericorditer inspirata, & tam serio coram ipso concepta mutem leviter, & à perfectionis prosecutione revolvar ad inferiora bona : id quod admirans coram Deo confundar ob tantam ingratitude.

PUNCTUM II.

Causæ
illius.

1.
Intueri
imper-
fectos.

2.
Acqui-
escere
carni.

A Postolus causas duas illius levitatis indicat. 1. Est quod nimis facile avertam oculos mentis à meo exemplari; & eos convertam ad imperfectorum vitam, exempla, verba, & consilia, quibus facilè permovetur qui non satis constantes sunt, ut bene inchoata deserant. Amat enim corrupta natura tepidorum potius quàm aliorum exemplum sequi, & minus necessarium judicamus pristinis propositis insistere, quando videmus alios in contraria ferri: sic ut illa cogitemus vel superflua esse, vel indiscreta atque adeo non esse à Deo; quia videmus alios, quos prudentes reputamus, alia via pergere. 2. Causa est quia nimium acquiescimus carni & sanguini, immortificatione affectuum inordinatorum, neque Christum tota voluntate complectimur; sed veluti penduli sumus circa ea quæ perfectionis sunt: unde quavis aura facilè per bona creata movemur.

PUNCTUM III.

1.
Remedi-
um con-

Cogitabo, efficacissimum remedium contra hanc inconstantiam esse crebram mei considera-

considerationem per examen conscientiae utrumque, & regulas electionis. Nihil enim ita levitatem nostram, quae plerumque ex inconsideratione provenit, astringit, sicut consideratio & attentio vigilans circa se & actiones suas; si-ve praeteritas, ut bene discutiantur, & corrigantur ad normam vitae Christi; si-ve futuras, ut perfecte per eandem normam componantur. Examino igitur, quomodo haecenus usus sim utroque examine & regulis electionis, & quomodo uti impostero debeam.

consideratio
actionum
nostrarum

PUNCTUM III.

UTile etiam remedium est, sequi exemplum Apostoli quod Galatis ideo proposuit: *Christo, inquit, confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus: quasi diceret.* 1. Abhorrere ab omnibus quae mundus amat, & amplectitur: quare praecidite vos a sterili & damnata arbore mundanae vitae, adeo ut nullam vobis relinquatis spem ex illa trahendi ullum succum, aut ex ejus legibus, moribus, spiritu vivendi: sicut ramus praecisus ab arbore prorsus ab ea alienus est. 2. Inserite vos cruci si-ve Christo crucifixo per ejus amorem, sic ut illi immobiliter adhaereatis, & ab illo vitam & succum gratiae sugatis, ut non jam vos in vobis vivatis, non natura vestra, non malae inclinationes, non voluntas; sed Christus ipse, a quo trahatis succum & formam internam vitae ejus, paupertatis, obedientiae, &c. ut ipse Christus in vobis

1.
Remedium ab-
horrere a mundo
Gal. 2.
19.

2.
Adhaerere Christi.

vobis oret, loquatur, operetur, labores patiatur, Confundar quod tam parū firmiter cū Christo colligatus sim, & petā à Deo, ut faciat me in suo amore, & in bonis propositis meis inmobilem.

MEDITATIO VI.

Gal. 5.7. Currebatis bene: quis vos impeditit?

Tepiditas.

PUNCTUM PRIMUM.

Cursus
ad per-
fectionē.

Considerabo, cursum meum consistere in Deo, ut ad perfectam formam vitæ Christi, sive ad salutem & perfectionem meam, & proximorum, per media mihi in mea vocatione proposita contendam, non qualicumque modo, non claudicando, non ambulando, sed currendo in odorem unguentorum, id est exemplorum Christi, qui me traxit à seculo ad se sequendum. Et quidem illum ego cursum cum aliquo fervore inchoasse videor: sed nonne fui abductus ab illo fine ad creata bona? per quot circuitus festinavi? quam inutiliter cucurri, & quodammodo lassatus sum in via vanitatis?

Retar-
datus.

PUNCTUM II.

Quibus
de causis

Considerabo quæ sint causæ errorum, & tarditatis. Certè Deus ex parte sua hactenus me traxit inspirationibus, adhortationibus, & exemplis, & etiamnum fortissimè trahit: & ipsa Domini Christi charitas potentissimè me urfit, & urget, ne mihi vivam. Ergo hæc vincula sive impedimenta cursus mei, & si nonnulla sint ab imperfectiorum exemplis, tamen potissimè

tissimum ego mihi ipse injeci. Illa S. Bernardus ad quatuor revocat. 1. est neglectus conscientiae parum timoratae, quo fit ut multa mihi quotidie vincula peccatorum injiciam, quibus vel abstrahar à via, vel in ea retarder. 2. Vanorum desideriorum multiplicitas. 3. Effusio in occupationes externas non necessarias: unde varia sollicitudinū spinæ. 4. Animi remissio & languor ob apprehensas corporis incommoditates & alias difficultates vitæ spiritualis.

PUNCTUM III.

Considerabo, quot me jam annis impedimenta irretitum tenent, & quamdiu retinebunt, nisi abrumpam. Quam parū viæ hæcenus confecerim, & quo jam pervenissem, si ut videbar initio incæpisse, semper cucurissem. Certè quod ad meam attinet salutem, vix videor illam satis in tuto collocasse. Quid si coram Deo comparendum esset? habent enim semper tepidi, unde de conscientia sua dubitent, & judicia Dei timeant. Quod attinet ad perfectionem, possumne agnoscere in me vel unam virtutem solidam & veram? Imo quam crudas adhuc sentio passiones, quantas in perfectione acquirenda, & virtutum exercitiis difficultates? Quod autè ad proximum spectat, quam parum hæcenus egi? sumne mihi conscius, quod vel unicum peccatum mortale aliquando impediverim? idque idcirco quia revera non egi ut instrumentum Dei, nec studui me disponere, ut, prout optabat, opera mea uteretur.

Quanto
damno.

1.
Salutis.

2.
Perfecti-
onis.

3.
Proximi

PUN-

PUNCTUM IV.

Nunc
curren-
dum est.

Urgente
Christo.

Sic faci-
lior est
via.

Gal. 5.
25.

COgitabo ex una parte, quam fortè parum mihi sit vitæ; quam multum viæ ad finem meum; quantum fortè oneris ratione officiorum, quæ imponi poterunt; quam parum otii, ad liberè & quietè mihi vacandum, quam parum virium corpòtis & animi. Ex alia verò parte mihi ponam ante oculos Christum invitantem me; imo trahentem post se, & acriter perurgentem, suæq; gratiæ & Spiritus efficacia ac fervore parantem dirumpere vincula mea, & ponere pedes meos tanquam cervorum: ut dum mihi temporis aliquid & virium superest, incitatissimo cursu errores & tarditatem pristinam compensem, & aliquid perfectionis acquiram. Decernam ergo jam tota contentione ita currere, ut per actiones verè me promoveam ad desideratam toto corde formam perfectam Christi. Hactenus enim fufsimilis illi qui vult & non vult, & ideo in via spiritali tot passus sum difficultates, tot tædia. Qui enim ita procedit lente & inconstanter, nihil proficit: & cum sæpe remittat, quiescat, aberret, sæpe repetenda via est; sæpe incipiendum de novo, cum nova difficultate, unde facile defatigatur, & animum progrediendi abjicit. At qui decernit sese totum tradere Deo, & unico velut ictu animam suam propter Deum perdit, non secus atq; martyres: brevi mortis compendio magnas difficultates & longa certamina redimit, ut experientia constat; plusq; uno die currendo proficit, quam multis repidè procedendo. Quare *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.*